

Dans le premier article, les moines reconnaissent (*confitentur*) que la ville de Charlieu est libre et franche, et qu'on ne peut

vicem obvenient, debetur ecclesie pro recognitione tantum quantum pro venditione.

3. Item. Si aliquis in dicta villa res suas causa salvationis apportaverit, salve debent esse, nisi pro debito proprio, vel fidejussione, vel proprio excessu, arrestentur.

4. Item. Cuilibet moranti in dicta villa [vel] franchisesia debet ei judex dari sine suspectione.

5. Item. Si aliquis fecerit injuriam in dicta villa et ejus franchisesia, et bona habeat, pro quibus facta injuria vel dicta valeat emendari, corpus ejus non [debet] capi nec arrestari.

6. Item. Si prior ecclesie Carilocci, vel aliquis de dicta ecclesia, aliquem de dicta franchisesia in propria persona aliquando appellaverint, non tene-
tur firmare vel fidejubere nisi super rebus quas ab [eis] tenet, quas res de stando juri debet obligare ; et si bona non habeat, tenetur pro posse plegiare.

7. Item. Reo offerri debet petitio in scriptis sigillo curie sigillata.

8. Item. Si producuntur testes in curia contra aliquem, potest aliquis de ejus consilio in examinatione testium interesse.

9. Item. Res quas homines et habitatores Carilocci, seu etiam alii, in dicto loco et ejus franchisesia ab ecclesia predicta tenent ad censum, possunt vendere et pignorare, seu quolibet alio modo alienare, exceptis dumtaxat ecclesiis et locis religiosis et militibus ; ita tamen quod cum res venditur, debet ecclesia ab emptore percipere, pro venditione , quotam pecuniam quota est tercia decima pars precii rei vendite, salvo quod in vico Jocoso, a puto dicto Marechal usque ad puteum dictum Mayselier, debet ecclesia percipere duplum quam dictum fuit in premissis.

10. Item. Res predictas, quas ab ipsa ecclesia tenent ad censum, possunt accensare cui voluerint, exceptis ecclesiis et locis religiosis et personis supradictis ; ita tamen quod si major census in re aliqua statuatur quam dicta ecclesia perciperet ex eadem, non potest accensator, pro quolibet denario qui primum censum excedit, ultra duodecim denarios recipere de intragio ; quin de eo quod ultra dictos duodecim denarios percipiet, det ecclesie venditiones juxta modum qui in rebus venditis superius est ex-
pressus. Si autem ille qui primo tenebat ab ecclesia rem ad censum alii eam ut predictum est accensaverit, et ille secundus jam vendat, debent tam ecclesia quam primus accensator qui rem ab ecclesia immediate te-